



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XVIII. De Fundo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

CASUS XVIII.

De Feudo.

Prenobilis quidam suum castrum, quod ejusdem antecessoribus in feudum à Monasterio olim concessum fuerat, irrequisito hujus consensu cuidam Principi vendit.

Q. 1. Utrum hæc alienatio feudi inconsulto Domino facta valeat?

Q. 2. Utrum vasallus alienans amiserit feudum?

Q. 3. An cum Domino directo consolidetur?

Q. 4. Et quidem ante sententiam Judicis.

SYNOPSIS.

§. I.

Prænotanda.

1. *Explicatur natura Feudi.*

2. *Nec non diversitas ejusdem.*

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum hæc alienatio Feudi inconsulto Domino facta valeat?

1. *Alienatio Feudi etiam purè hereditarij sine consensu Domini directi facta ipso jure est irrita.*

2. *Satisfit cuidam objectioni.*

3. *Poterit tamen sine novo consensu Domini directi alienari Feudum.*

4. *potest.*

- potestas illud alienandi tacite vel expresse in ipsa investitura concessa fuerit.
6. Feudum purè hereditarium ut alienetur, requiritur novus consensus Domini directi.
7. Satisfit fundamento adversariorum.
8. Æquè invalida erat hæc alienatio absque consensu Domini directi & proximorum agnatorum, si Feudum non merè hereditarium, sed gentilitium fuerit.
9. Hoc idem tenendum, si Feudum antiquum fuerit.
10. Imò licet novum, si tamen gentilitium fuerit.

§. III.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum in hoc casu feloniam commissa fuerit?

11. Quisnam nomine feloniam intelligatur?
12. Feudum absque ullo consensu Domini directi alienatum inducit feloniam.
13. Licet alienans vasallus statim alienationem suam retractaverit.

§. IV.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num in hoc casu dominium utile cum directo proprietatis consolidatum fuerit?

14. Ut Feudum amittatur, res Feudalis non solum alienata, sed etiam in alium debuit esse translata.
15. Feudum purè hereditarium sine consensu Domini directi alienatum, revertitur irrevocabiliter ad Dominum.
16. Ad eundem Dominum redibit saltem in certum tempus taliter alienatum Feudum gentilitium.
17. Potestque ab illo retineri, saltem quamdiu ipse vasallus illicitè alienans, ipsiusque filij vixerint.
18. Refutantur contrarium sentientes.
19. An Feudum post mortem delinquentis & ex hoc descendendum devolvatur ad agnatos delinquentis, examinatur.
20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.

Resolvitur questio.

H h 2

§. V.

S. V.

Resolvitur quartum Quæsitum

An Feudum commissum ipso Jure, vel per sententiam pri-
mum amittatur?

27. Prefertur opinio requirentium
sententiam Judicis.

28. Que vasallo à Domino dire-
cto injuncta est.

29. Et 30. 31. Satisfit objectionibus.

32. Feudum absque consensu Domi-
ni illicitè alienatum, ipso jure
apertum fuit.

S. I.

Prænotanda.

1 **Not. 1.** quòd feudum formaliter vel pro contractu sumptum, sit contractus, quo alicui conceditur res immobilis, aut quasi immobilis, cum translatione Dominij utilis sub onere fidelitatis, ita Col. ex feud. tit. 1. §. 3. Et tit. 23. in feudis, dixi feudum formaliter acceptum; sumitur etenim etiam pro ipsa re in feudum concessa, & denique etiam effectivè pro jure, quod ex feudi concessione tam Dominus feudi, quam vasallus accipiunt.

2 **Notandum 2.** Diversas species feudorum dari; aliud enim est novum, aliud antiquum, novum vocamus, quod à primo influente immediatè habetur, ita ut nullus alius in illius possessione præcesserit, antiquum ex opposito dicunt, quod priùs ab alijs possessum, & inde ad novum possessorem derivatur.

Insuper aliud feudum est hereditarium simpliciter, aliud hereditarium ex pacto & providentia; & denique aliud mixtè hereditarium. Primum ex vi factæ concessionis ad quoscunque hæredes etiam extraneos potest transferri, gentilitium autem seu concessum ex pacto est à principio inito mensurandum; prout aliquos est concessum alicui pro se ac filijs descenditibus sine mentione hæredum, Vocatur etiam ex pacto & providentia, vel familiarè, aut feudum familiarè, aliud est feudum mixtum ex feudo hereditario atque ex pacto compositum in quantum non quoscunque sed filijs & descenditibus & quidem hæredibus est transferibile. Ex quo colligitur solum feudum hereditarium simpliciter quoscunque hæredes comprehendere, hereditarium mixtè verò non nisi aliquos determinatos. Eli

Est etiam feudum aliud nobile, aliud non nobile, illud nobilitat personam accipientis, vel nobilem esse ostendit, si jam antea fuerat talis. alterum est, quod nec nobilitat, nec personam nobilem esse designat.

S. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Q. I. Utrum hujus Feudi alienatio ignorante Domino facta existeret valida?

Cum feuda alia sint purè hæreditaria, alia gentilitia. Item alia nova, alia antiqua, ideo quid supposito quolibet horum dicendum sit, pluribus conclusionibus explicandum erit.

³ Dico 1. Alienationem feudi, etiam purè hæreditarij sine consensu Domini directi factam esse ipso jure nullam & irritam ita habetur decisum ab Imperatore Lothario L. 2. feud. tit. 52. uti etiam à Friderico Imperatore tit. 55. l. 1. ibi: *sancimus, ut nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere Sc. sine permissione illius Domini, ad quem feudum spectare dignoscitur.* Ratio hæc decidendi fuit, ne vassallus hac ratione redderetur insufficientis ad obsequia Domino præstanda.

⁴ Dices: ex ratione adducta solum sequitur, feuda obsequium personale exigentia sine consensu Domini non posse alienari: ergo feuda franca, seu immunita ab obsequiis personalibus præstandis, poterunt alienari; quia in istis

non reperitur ratio movens ad prohibendam alienationem feudi. w. nego sequelam antecedentis. Ratio est, quòd feuda impropria eò usque tantùm à feudis proprijs deslestant, in quantum in investitura intercessit aliqua mutatio: ergo si in puncto alienationis infcio Domino factæ, nulla fuit facta mutatio in investitura, in hoc non differet tale feudum aliàs improprium.

Dico 2. Si in ipsa investitura pactum quoddam expressum vel etiam tacitum inintum fuerit, vi cujus generalis potestas vassallo data fuerat alienandi feudum, sine consensu de novo expetito, alienari feudum poterit. Ita Hau- noid tom. 3. tract. 9. n. 797. cum communi aliorum. Probatum tale pactum non fuit otiosum: ergo produxit aliquem effectum: atqui nullum produxisset, si illo non obstante novus consensus Domini in alienatione feudi petendus esset. idipsum clare habe-

Hh 3

tuz

tur in l. 2. feud. tit. 48. ibi si quis ea lege feudum dederit, ut & ipse & sui hæredes, & cui ipse dederit habeant. ¶ iste, qui sic accepit, poterit id vendere vel donare &c.

6 Dico 3. Ex eo præcisè, quòd feudum purè hæreditarium alicui fuerit concessum, non est eo ipso concessa facultas tale feudum alienandi etiam in vivis sine novo consensu Domini directi, contrarium judicant Clarus q. 41. Gaill. observation. 154. Engl. bñ. num. 7. Schmalzgrueber, Pichler. Probat: omne pactum præjudicans alteri contrahentium est strictè accipiendum, & ita observandum, ut quàm minimè à jure feudali recedatur: ergo cum jus feudale exigat, ut sine consensu Domini directi feudum non alienetur, concessa potestas ad alienandum uno determinato modo non erit extendenda ad alienationem alià viâ faciendam.

Confirmatur, si in investitura vasallo concessa potestas fuerat relinquendi feudum in testamento certæ ac determinatæ personæ, absque novo consensu Domini non poterit feudum legari alteri: ergo &c.

Item si concessa fuit potestas alienandi certam partem feudi, vi hujus non potest altera pars ejusdem feudi alienari. Juxta communem: ergo &c.

Præterea juxta Haunold. n. 798 loco citato. si pactum solum conceptum est ad ultimam vo-

luntatem, non potest alienari inter vivos: atqui feudum hæreditarium est concessum dumtaxat cum pacto alienationis ad ultimam voluntatem vel ab intestato: ergo inter vivos non potest alienari.

Confirmatur juxta textum tit. 48. l. 2. feudo, dicitur, quòd feudum vendere vel donare possit, qui ea lege feudum accipit, ut & ipse & sui hæredes; &, NB. cui ipse dederit habeant; talem posse vendere vel donare: ergo cui datum quidem feudum fuit pro hæredibus: sed non ita, ut cui ipse dederit, habeant, non poterit alienare. Probatur consequentia; si ad hoc, ut talis alienare possit sine novo consensu Domini, sufficeret, quòd ipsi vasallo & hæredibus fuerit datum, non debuissent addi illa verba: & cui ipse dederit: ergo &c. Nam verba hæc non sunt superflua: ergo aliquid concedunt, quòd sine illis non est concessum.

Oppones cum contrariæ sententiæ Patronis. tale feudum merè hæreditarium ratione primæ investituræ ad quoscunque etiam extraneos hæredes devolvi potest: ergo Dominus in consensione feudi merè hæreditarij jam consensit in illius alienationem: ergo novo consensu non erit opus. ¶ distingo consequens jam consensit in alienationem quocunque modo faciendam nego, faciendam per mortem seu legato,

to, testamento; aut ab intestato: concedo consequentiam.

Dices: si fuit concessa potestas alienandi mortis causa, non superest ratio, ob quam sit prohibita alienatio inter vivos: ergo &c. *¶* rationem esse, quia ex una parte de natura feudi est, ut non possit sine consensu Domini alienari: ex altera parte concessa alienandi potestas, eò quòd Domino feudi præjudicet, est strictè accipienda: ergo si data fuerit facultas alienandi mortis causâ, non est præsumendus consensus in alienationem inter vivos factam.

Confirmatur. alienatio inter vivos per venditionem potuit fieri, prout hic contingit in personam valdè potentem, quæ recuset præstanda obsequia Domino directo debita: ergo jam habetur ratio: facilius enim per venditionem transfertur in talem personam bonum feudale quàm mortis causâ.

¶ Dico 4. Si hoc feudum non fuit merè hæreditarium sed gentilitium absque consensu Domini directi aut proximorum agnatorum facta alienatio fuit nulla, Probatur. feudatarius non habuit jus abalienandi tale feudum in istis circumstantiis. Constat *ex lib. 2. feud. tit. 42. § 44. item 52. § 55.*

¶ Dico 5. Licèt consentiente Domino tale feudum fuisset alienatum, in seipsis tamen & non con-

sistentibus agnatis, invalida fuerat illius venditio, si feudum antiquum fuerit. Ita sentiunt Clarus *q. 41. Mynsinger cent. 4. observ. 25. Gaill. l. 2. observ. 49. Laym. l. 3. tract. 4. c. 24. n. 7. constat conclusio ex lib. 2. feud. tit. 39.* Ratio est, quòd ex pacto & providentia tum primi conferentis tum primi acquirentis cæteris agnatis jus quoddam fuerit acquisitum, quo inviti ab alienante spoliari nequaquam possunt.

Dico 6. Etiam si hoc Feudum ¹⁰ novum fuerit, si tamen erat gentilitium absque consensu filiorum, & descendentium agnatorum facta venditio probabilis fuit nulla, ita contra Fachineum *lib. 7. controuv. 2. c. 9.* Rosenthal, Clarum *§. Feudum q. 40. § 41. Mynsinger cent. 4. observ. 84. in fine Gaill. l. 2. observ. 40. Laym. l. 3. tract. 4. cap. 24. n. 5.* Jacobum Emeric *decis. 1291. n. 11.* Shmalzgrueber *hic n. 153.* Hartman, Pyllstorium *l. 7. q. 44.* sentiunt Wilhelmus Ludvvel, *tract. de success. Feud. cap. 5. pag. 125.* Haunold *tom. 3. tract. 9. de 7. § 7. cap. 5. n. 799.* Glettle *in tract. cau. civili cap. 2. §. 2. de Feudo n. 3.*

Advertimus autem hanc assertionem procedere etiam de feudo novo, quod non concessum fuerat instar antiqui, cum enim tale novum feudum etiam antiqui proprietates habeat, secundum

dum istas etiam de hoc Feudo discurrendum erit. Probatum de Feudo antiquo gentilitio non potest pater testari, vel alienationem illius facere, quia talis dispositio in vitis filijs aut descendentes facta istis præjudicaret ob jus jam quæsitum in illo Feudo: atqui etiam filij & reliqui descendentes jam habent jus quæsitum in tali Feudo ergo &c. Probatum minor. per ipsam investituram in Feudo gentilitio jam fuit descendentes jus illud quæsitum ergo &c.

Confirmatur hoc ipso, quod sit feudum gentilitium non solus Pater, sed etiam omnes descendentes jam fuerunt in illo investiti: ergo jam habent jus quæsitum. Probatum antecedens. si non tunc

statim, tunc hoc jus primum acquirerent mortuo suo Patre & Primo vasallo: sed hoc est falsum. probatur minor. nulli mori primi vasalli requiritur ut conditio ad hoc, ut descendentes habeant perfectum jus: ergo &c. Deinde descendentes in 2. gradu, scilicet nepotes, vel habent isti jus quæsitum, postquam primus vasallus & Avus illorum mortuus fuerit, licet adhuc filius hujus primi vasalli & Pater in 2. gradu existentium vivat, vel hoc jus primum acquirunt mortuo illorum patre? Hoc ultimum non concedunt, si primum; contra est: si existentes in 2. gradu habent jus quæsitum in Feudo, licet adhuc vivat antecedens vasallus, etiam poterunt filij habere, licet Pater illorum adhuc vivat.

§. III.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum in hoc casu feloniam Commissa fuerit?

Nomine feloniam venit delictum a vasallo commissio vel omissione in materia Feudi perpetratum trahens post se amissionem Feudi. Hoc ubi evenerit dicitur, *Feudum committi seu fieri caducum*. Quod si aliquid sine culpa seu delicto inducens amissionem Feudi contigerit, ut si deficiat hæres vel agnatus, dabitur apertura Feudi, & hoc Do-

mino aperiri dicitur, His suppositis.

Dico: si hoc Feudum ab ipso consensu Domini directi factum subsequente vel reservato sub conditione alienatum & ante purificationem conditionem consentientia Domini directi extraditum fuerit, evasit illud caducum, atque commissum est, etsi ponatur statim revocasse poenitentia sui facti dicitur.

ctus, licet merè hæreditarium fuerit, conclusio constat. *ex 2. Feud. 38. 42. 44. 52. 55.*

Probatur 2. Si Dominus directus sine consensu vassalli alienet proprietatem Feudi excepto casu, quo alienat Universitatem, cui res Feudalis, & jus vassalli annexa sunt, amittit ille Feudi dominium directum, & hoc consolidatur cum Dominio utili: ergo etiam vicissim quando vassallus sine consensu Domini directi alienat rem Feudalem, etiam ipse dominium utile amittit. Probatur consequentia, Dominus directus, & vassallus ex iisdem delictis amittunt Feudum, Uti

omnes Authores tuentur, & omnis illa causa, ex qua Dominus privatur Feudo, ex hoc etiam privatur vassallus, & vicissim,

Dein etsi Emphyteuta penam caducitatis juxta nonnullos evitet, si abalienata re Emphyteutica per celere satisfactionem sibi consulat, penitentia ductus, revocans alienationem: hoc tamen in alienatione Feudi non procedit juxta communioem uti & *textum in tit. 44. 2. libri Feudorum*. Ratio est, quod per alienationem Domino directo statim aliquod jus quæsitum fuerit ad caducitatem tanquam penam,

§. IV.

Resolutio tertij Quæsitij.

An ob hanc sine consensu Domini directi factam alienationem Feudi dominium utile cum dominio directo proprietatis consolidatum fuerit?

14 **E**X dictis in priore §. Uti etiam *ex lib. 2. Feud. tit. 38. 42. 44. 52. § 55.* habetur, feloniam seu delictum, cui ut pena statuta fuit amissio Feudi, commissam fuisse, si scienter sine consensu Domini, Feudum secuta etiam traditione alienatum fuerit. Superest controversia, num hoc amissum ab alienante Feudum ad Dominum & quidem in perpetuum redeat, vel ad proximos agnatos?

Diximus autem ad amissionem feudi necessarium esse, ut possessio alienationis feudi in eminentem translata fuerit. Ita Vultejus *l. 1. de feud. c. 11. num. 42.* Haunold. *tom. 3. tract. 9. n. 893.* Ergi hic *n. 34.* Schmalzgrueber *hic n. 177.* desinitur *ex textu lb. 2. feud. tit. 55. princ. ibi: Qui feudum vendunt, & in alios transferunt.* Ratio secunda est, quod leges poenales accipiendæ sint cum effectu, & in proprio sensu verborum: sed

li

alie-

alienatio propriè accepta dicit etiam translationem possessionis.

16 Dico itaque 1. Feudum purè hæreditarium sine consensu Domini directi alienatum, translata etiam in alium possessione redit ad Dominum directum irrevocabiliter. Ita Haunold, tom. 3. tract. 9. cap. 5. n. 910. Probatur, per talem alienationem fuit Domino directo injuria facta, quia se contemptum à vasallo conspicit: ergo ad solatium illius tale feudum redibit ad Dominum, & quidem irrevocabiliter.

Probatur hoc ultimum: agnati ob talem alienationem nullam querelam adversus alienantem vasallum habent, neque illis per hoc ullum præjudicium accessit: ergo &c. Probatur ant. etiam in vitis filijs, & alijs agnatis illud consentiente Domino alienari potest: ergo ex hac alienatione nullam injuriam eisdem intulit, antecedens constat. Si enim est hæreditarium, tunc etiam extraneis titulo hæreditatis potuit concedere, & quilibet, ubi alteri nullum sit præjudicium, in re sua est moderator, & arbiter. *Lege in re mandata Cod. mandati*: ergo nullum jus agnatis ad illud feudum competeat, consequenter neque ipsdem præjudicatum per hoc fuit.

Probatur 2. *Ex §. fin. tit. 21. lib. 1. feud. ibi: Si quis miles beneficium suum vendiderit totum sine voluntate, vel jussu Domini sui,*

ut proprium beneficium amittat decernimus, dominus vero habeat.

Quando autem in casibus particularibus præsumi debeat, & sufficiat consensus Domini directi, constat ex conclusione prioris §.

Dico 2. Si etiam feudum gentilium infcio, & non consentiente Domino alienatum fuerit, rediturum illud ad Dominum, & cum dominio directo saltem ad certum tempus consolidandum. Ita defendunt Somsbeckius, Hormanus *ex l. 1. feud. tit. 5. pro. l. 2. tit. 24. §. denique tit. 31.*

Constat conclusio ex textu §. fin. tit. 21. lib. 1. qui universaliter bene ulla distinctione facta inter rere hæreditarium, & non hæreditarium concludit, tale alienatum feudum amitti à vasallo, & haberi à Domino. Idem constat *ex lib. 1. feud. tit. 5. §. 2. 24. &c.*

Dico 3. Tale feudum à Domino directo retineri ad manuum posse, quamdiu ipse vasallus licitè alienans, & ipsius filij vixerint. Prob. *ex tit. 31. l. 1. v. vasalli, ibi: Vasalli feudum debentis, licet ad agnatos quosdam pertineat, filius tamen ad id non tenus aspirabit.* Hic habetur, quod filius non possit aspirare, neque descendentes illius ad feudum à patre amissum, nisi id iterum à Domino licitè acquirat, sibi etiam faciente: ergo &c. Idem habetur *l. 2. feud. tit. 37. etiam l. 2. tit. 26. v. si vasallus; si vasallus*

lus culpam committat, propter quam feudum amittere debeat, neque filius, neque ejus descendentes ad id feudum revocabantur, sed agnati, qui quarto gradu sint, dummodo ad eos pertineat.

Scio ab aliquibus fieri in hoc distinctionem inter filios, qui sunt hæredes Patris in alijs bonis, & illos, qui non sunt hæredes, asseri etiam, filios hæredes excludi, non autem cæteros. Rationem dant, quòd filius hæres repræsentet patrem, & in jure eadem persona cum patre censeatur esse, ita ut factum defuncti teneatur præstare, nec illud revocare, aut impugnare possit. Quin imò feudum gentilium mortuo tali parente à filio etiam hærede revocari posse. Defendunt Vultrejus *de feudis lib. 1. cap. 11. num. 86.* Fachineus *c. 18.* Carolus Abarchberg. *de feudo ex pacto. § provid. c. 5. à n. 67.* D. Christoph. Chlingensperg. *de feudis c. 11. q. 3. ob. 1. § juxta aliquos commentis.*

Contra hos tamen Authores facit, quòd in jure feudali revocandi jus nunquam ipsis filiis legatur datum fuisse, sed agnatis: Ex altera autem parte nomine agnatorum in eodem jure non veniunt filij & descendentes, qui ab ijs distinguuntur *l. 1. feud. § 2. tit. 11. § 1. 37. 45.*

Contra est 2. Quòd pro conclusione nostra citatus textus *tit. 21. lib. 2. feud.* expressè loquatur

de filiis & descendentes, quòd ad feudum aspirare nequeant, nisi de novo investiantur.

Contra est 3. Vassallus & Dominus directus habent relationem ad se invicem, ita ut sicut ex delicto vassallus potest amittere dominium utile, ita etiam dominium directum ex delicto amittere possit Dominus directus: ergo in pœnæ inflictione debent haberi æqualiter: atqui Dominus directus, si amittit secum dominium proprietatis, hoc ita redit ad vassallum, ut filij Domini directi post hujus mortem non possint illud denuo ad se revocare: ergo neque poterunt revocare filij vassalli delinquentis.

Observanda itaque erit, prout providè admonet Haunoldus, praxis & consuetudo locorum, in quo feudum est situm: cum enim leges feudorum instar aliarum contraria, & legitima consuetudine aboleri, vel immutari, aut etiam novæ condi valeant, ideo, si alicubi legitima, & consentiente Legislatore introducta consuetudo vigerit, dans filiis & descendentes facultatem revocandi ad se feudum post mortem delinquentis vassalli parentis, erit hoc in praxin deducendum, in alijs locis jus feudale prout sonat, observandum erit.

Major difficultas est, an non tale feudum post mortem delinquentis, & ex hoc descendenti devolvatur ad agnatos delin-

li 2

Gen-

quantis vasalli? Affirmativam in hoc defendunt Hartman, Pystorius, Vultejus, Rittershusius, Haunold. tom. 3. tract. 9. cap. 5. n. 911. idem sentiunt Clarus §. feudum q. 66. Wefenbec. conf. 73. n. 29. Struvius c. 15. apboris 14. Bocer. n. 143. de Chlingensperg c. 13. de feud. q. 17. Schmier, Schmalzgrueber, Pichler.

Probant autem hanc suam conclusionem aliqui ex illo textu l. 2. feud. cap. 31. vasalli feudum delinquentis licet ad agnatos quandoque pertineat &c. Ergo inferunt post mortem delinquentis, & ex hoc descendendum redibit denuo ad agnatos, non ante descendendum mortem, cum ante hanc nullum in feudum jus acquisiverint. Verum ex hoc textu intentum haud evinci facile probari poterit, nam aliud est quandoque feudum, hoc est in aliquibus casibus redire ad agnatos immediatè: & illud redire denuo, postquam jam semel redijt ad Dominum directum. Tunc enim redit ad agnatos illicò post amissum à vasallo, quando hic non peccavit in Dominum directum, sed in alios, ut habetur lib. 2. feud. tit. 37. ibi, si quis interfecerit fratrem Domini sui, non ideo beneficium amittit, sed si fratrem suum interfecerit ad hoc, ut totam hereditatem habeat, vel aliam feloniam commiserit v. g. hominem tradendo, ut in curia amplius stare non possit, privetur beneficio; quia tamen erga Dominum non fuerit fa-

cta, ad agnatum proximiorum feudum pertinebit; si patrum fuerit; eodem prorsus observari, quantum ad ordinem gradus, qui continetur in legibus. Cum autem ad Dominum respicit feloniam, feudum tunc Domino aperitur. Ergo ex eo, quod quandoque ad agnatos redire dicitur, non bene inferitur, quod redeat, si semel cum dominio directo fuerit consolidatum.

Eandem conclusionem probant, 2. Ex communi Juris regula jus jam semel quaesitum non potest auferri, vel amitti, nisi facto proprio: ergo etiam jus agnatorum in hoc casu jam quaesitum non potest facto alieno ipsius scilicet vasalli auferri, consequenter illo mortuo redibit feudum ad agnatos.

Hoc argumentum videtur manifestam retorsionem pati in descendentibus respectu Feudi antiqui; quia etiam istis fuit jus quaesitum in illo, & tamen hoc amittent ex delicto sui Pars &c. §. 2. cum distinctione nemo potest spoliari suo jure jam absolute & completè quaesito: concedo, conditionatè & nondum perfectè quaesito. Negatur. inter Dominum & vasallum est quidam contractus celebratus, cujus conditiones sunt utriusque observandae: ergo si vi hujus contractus in agnatos est solum translatum jus perfectum, si antecessores illius non deliquerint, antequam impleatur hæc conditio non habe-

bunt absolutum & completum. jus. Quod confirmatur: certum est, quod non habeant tam perfectum jus, quale habet ipse vasallus aut ex hoc descendentes; cum post horum obitum primum devolvatur feudum ad agnatos: ergo &c.

Confirmatur 2. Ob crimen læsæ Majestatis ex primo capite legis julæ seu ex causa perduellionis ac insidiarum in vitam Principis totius familiæ amittitur feudum, ita ut exclusis agnatis ad Dominum revertatur, prout *vult Gaill. l. 2. de pace publica c. 13. n. 16.* Ergo hoc jus in antiquo feudo jam quæsitum potest ex delicto vasalli sine facto proprio agnatorum amitti.

22. Tertiò aliqui ita pro se argumentantur, licet 1. feud. tit. 5. § 2. feud. 24. § 44. uti § 55. dicatur feudum immediatè reverti ad Dominum, non tamen dicitur reverti perpetuò ac stabiliter, ut mortuo delinquente non liceat agnatis illud ad se revocare, ergo &c. 2. cum simpliciter in illis locis dicatur reverti feudum ad Dominum, nec insinuetur, quod redeat solummodo ad dies vitæ vasalli vel descendendum, ideo sine ratione non debet asseri, quod ad tempus duntaxat cum dominio directo consolidetur.

23. Quarta illorum ratio est: agnati non acceperunt jus in feudum ab ipso vasallo delinquente, pro-

ut tamen illud acquisiverunt descendentes, sed in communi stipite per investituram, à quo illud ad alienantem pervenit: ergo ex delicto vasalli posterioris non possunt amittere jus in feudum. 2. ad hoc, id ipsum quod ad prius argumentum reposui, scilicet conc. ant. dist. conf. ergo ex delicto vasalli posterioris non possunt amittere jus in feudum in modum pœnæ: conc. conf. non possunt amittere ex vi contractûs cum Domino feudi à communi stipite celebrati: neg. conf. contractûs ille in hoc consistebat, ut ad posteriores tamdiu devolveretur feudum, quamdiu nullus feudatiorum in Dominum feudi deliquerit: ergo quando aliquis horum deliquit, posita fuit conditio, auferens successoribus jus ad feudum.

Quinta: textus allegati à no-24 bis pro sententia asserente feudum ad Dominum etiam exclusis agnatis reverti, possunt commode in hunc sensum explicari. 2. distingo, si habeatur aliquod fundamentum hujus explicationis concedo, si hoc desit, nego.

Urgent: ipsa æquitas hoc expostulat, ne tam facile agnati ex facto alieno contra communes juris Regulas suo jure priventur præsertim cum ob solam alienationem tam gravis culpa in Dominum non committatur. 2. cum ex vi contractûs hoc feudum agnatis sub his conditioni-

bus fuerit concessum, & ab iisdem acceptatum, ideo volentibus non fit injuria.

25 Sexto ita argumentantur, si fidecommissum ex causa delicti confiscatum fuerit, in vita tantum delinquentis apud fiscum manet, post mortem vero ceteris, quibus competit, restituendum est. & disparitatem esse, quod contractus diversi, diversas etiam conditiones ex conventionem vi Reg. 85. in 6. Recipient: cum ergo fidecommissum & feudum sint diversi contractus ideo non ambo sunt ad easdem regulas dirigendi.

26 Septimam denique & efficacissimam rationem adducunt ex tit. 78. 2. feud. ubi haec habentur. *cum feudum hereditarium uti ex coheredibus propria culpa auferatur a paribus per iudicium ceteris non praedicit, hoc autem intelligitur, ut vivo eo vel suis heredibus feudum ad ceteros venire non intelligatur, ergo (inferitur) mortuo illo vasallo, revertetur illud feudum denud ad coheredes. Item eodem libro tit. 98. vasallus habens feudum deliquit contra Dominum, cui iudicatum est: agnati cum Domino litigant: quidam Domino dicunt pertinere, quidam agnato, dicimus autem ad Dominum non pertinere, donec aliquis masculus ex delinquentibus vasallo superest, alij vero contrarium. Ut autem hic textus efficaciam habeant, asserunt Cujacium in Glossa innuere particu-*

lam non in hoc textu ut erroneam Typographi esse delendam.

Uterius in alio quodam loco librorum feudalium habetur si Clericus vel Episcopus, Abbas Beneficium habens à Rege datum non solummodo personae, sed Ecclesiae ipsum propter suam culpam perdat, eo vivente, & Ecclesiasticum Beneficium vel honorem habente ad Regem pertineat; post mortem vero jus ad successorem ejus revertatur.

Sed responderi potest ad primum textum, ibidem sermonem esse de casu, quo plures coheredes dantur, qui eodem tempore in diversas partes relictum feudi succedunt; & de his asseri, quod pars feudi obveniens delinquenti vasallo coheredi post hujus mortem accedat reliquis coheredibus: ex hoc autem nihil inferitur pro agnatis, qui primum succedunt defuncto vasallo. Disparitatis ratio est, quia tales actuales coheredes videntur habere majus jus quam agnati succedentes primum post descendentes, secundo hic textus videtur nimium probare, quia sequeretur feudum etiam pure hereditarium sine praedicio agnatorum alienari non posse, & amissum ob delictum vasalli non redire irrevocabiliter ad Dominum. Ad 2. textum Responderi potest, ex eodem quidem constare authorem illius responsi fuisse hujus sententiae, ipsummet tamen asserere ab alijs

alijs teneri contrarium, qui fundant se in §. *denique tit. 24. lib. 1.* ubi dicitur, si quidem vassallus ita in Dominum peccaverit, ut feudum amittere debeat, non ad proximos, sed ad Dominum Beneficium revertitur. Ad 3. loco cit. textum reponi potest hanc singularem mitigationem poenae in favorem causae piae atque Ecclesiae statutam fuisse, propterea non esse ad saecularia extendenda.

Ex quibus omnibus denique colligimus, insistendo significationi strictae textum feudali, nequaquam sufficienter probari posse, feudum ex delicto in Dominum commissum amissum solum ad tempus cum dominio directo consolidari. verum cum referente Haunoldo u. 908. loco cit. plurimi authores à Vultejo c. 11 n. 71. §. priorem teneant, tale feudum nequaquam in perpetuum apud Dominum directum permanere, sed delinquente ac filijs, ceterisque illius descendantibus mortuis ad proximum agnatum redire, ideo in locis, ubi consuetudine legitima ejusmodi praxis introducta jam fuit, erit illa observanda, praesertim cum hac ratione diversae Doctorum in hoc sententiae concilientur, & tam Domino directo, quam vassalli agna-

tis consulatur. Caterum, quod illicita alienatione feudum ad Dominum proprietatis exclusis filijs, & agnatis revertatur, defendit Pyrhing hic §. 5. n. 15. dummodo alienatio a vassallo scienter sit facta §. si vassallus lib. 2. feudor: tit. si de feudo defuncti. 26. Clarus Rosenthaler c. 9. concl. 6.

Unum tamen adhuc bene considerandum venit, scilicet in istis Principijs longè deteriorem esse conditionem Domini directi, quam ipsius vassalli; si enim Dominus directus in vassallum peccando amittat dominium directum feudi, devolvitur hoc irrevocabiliter ad vassallum & in perpetuum: ex opposito dominium utile rediret ad Dominum tantummodo ad tempus & irrevocabiliter.

Supereff adhuc quaestio de feudo novo gentilicio, an hoc revocabiliter duntaxat ad Dominum directum redeat vel irrevocabiliter. In hoc communis DD. tenet, feudum novum indistinctè redire ad Dominum, & colligunt hoc ex ultimis verbis §. *denique tit. 24. si tamen beneficium fuerit paternum.* Hanc è contrario inferunt: ergo si non est paternum sed novum, revertetur ad Dominum & non ad agnatos,

Resolutio quarti Quæstiti.

An feudum si commissum fuerit ipso jure, per sententiam condemnatoriam amissum fuerit?

Dico 1. Regulariter si paucos casus excipiamus non amittitur ipso jure Feudum, sed sententia Judicis debet accedere: Ita Clarus §. Feudum q. 62. Zas. p. 10. n. 72. Borchold. c. 8. n. 157. Laym. l. 3. tract. 4. c. 24. n. 11. v. denique Rosenthal. c. 10. de Feudis conclus. 41. Haunold. tom. 3. tract. 9. n. 898. Schraderus, Vultejus, Rittershusius. Conclusio constat ex lib. 1. Feud. tit. 21. §. tit. 22. §. 2.

Tit. 21. ita sonat, Sancimus ut nemo miles sine cognita culpa Beneficium amittat, si culpis illis vel causis convictus non fuerit, quas milites visi sunt nominare, quando fidelitatem faciunt Dominis suis vel per laudamentum parium suorum, vel si Dominis suis servire noluerint, tunc conditio causa data proponitur ad repetendum Feudum, ex quo non servit Domino &c.

Probat 2. generalis regula dicit, quod regulariter nulla pena privans jure jam quæsito incurratur absque omni sententia saltem declaratoria criminis, etsi aliàs dicatur ipso jure incurfa: ergo &c.

Dico 2. hæc voluntas domini directi debet insuper vasallo declarari. probatur. caducitas hæc fuit statuta in favorem domini, & hinc eidem competit facultas vel revocandi ad se feudum expressè aut tacite, vel renuntiandi huic suo juri: ergo ut vasallus sciat, quod revocet ad se feudum, debet illius voluntas manifestari saltem tacite, quod contingit, si post aperturam aut feloniam à vasallo servitia non admittat.

Contra priorem conclusionem obijcit Bonerus; attendendo textus juris feudalis amissio feudi non judicis sententia, sed ipsius causis legitimis, modisque adscribitur: ergo non est necessaria ulla sententia Judicis. probatur antecedens: verba textus sunt, *cadere à feudo, amittere feudum, carere beneficio beneficium pertinere ad Dominum vel agnatum, ad hoc reverti*: ergo &c. n. nego antecedens, quia talia verba includunt potius sententiam judicis, hinc lib. 1. feud. tit. 21. clarè statuitur: ut nemo miles sine cognita culpa beneficium amittat suum. Item tit. 22. ejusdem libri §. 2. fit men-

mentio laudamenti, arbitrij Judicis & sententia.

31 Ob. 2. Per quas causas quid nascitur per eandem dissolvitur, sed feudum nascitur ipso jure, & absque judicis sententia acquiritur vasallo; ergo etiam hoc jure amittitur. R. distinguo Majorrem per quas causas aliquid nascitur per has etiam dissolvitur, si loquamur de amissione & dissolutione in modum poenae per culpam inducta nego, si loquamur de alijs modis, quibus potest amitti feudum, transeat.

Dico 3. Ipso jure apertum fuisse feudum, si hoc absque consensu Domini fuit illicitè abalienatum: si tamen emptori traditio jam fuit facta, solum per sententiam vindicari feudum potest: ita tenet communis Doctorum, & statutum habetur in cap. Imperialem de prohib. feud. alien. per Lotharium: lib. 2. tit. 52. & cap. imperialem de prohib. feud. alien. per Fridericum lib. 2. tit. 55. Zæsius in Epit. p. 9. n. 3. Clarus de feudum q. 31. n. 1. Rosenthaler tract. de feud. c. 9. concl. 1.



CASUS XIX.

De Censibus.

SEmpronius non obstante lege, pro censu annuo quatuor florenorum taxante pretium octoginta, vendit quatuor annuos centum florenis. Ex opposito ipsomet emit sex annuos solummodo centum: imò jus percipiendi singulis hebdomadis crucigerum, vel singulis mensibus denarium unico floreno.

Q. 1. Utrum stante tali lege, quatuor florenorum annuus census licitè vendatur 100?

Q. 2. Utrum sex annui emantur licitè solummodo centum?

Q. 3. Utrum unico floreno licitè emam censum crucigeri in singulas hebdomades, vel denarij in singulos menses persolvendi?

Kk

SY-